

Disputatio inauguralis de consensu partium ... / proponit Gustavus Victor Jaegerschmid.

Contributors

Jaegerschmid, Gustavus Victor.
Beusser, Caspar Wilhelm.
Universität Heidelberg.

Publication/Creation

Heidelbergae : Per Andream Hörth, [1720]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e2gajtq8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGURALIS³⁶
**CONSENSU
PARTIUM**

DEO ADSPIRANTE MAXIMO,
Decreto Gratiösae Facultatis Medicæ,

P R A E S I D E
VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
ATQUE EXPERIENTISSIMO
**D. CASPARO GUILIELMO
BEUSSER,**

MEDICINÆ LIC. ET PROF. PUBL. ORD.
DOMINO FAUTORE MAXIME COLENDO,

In Perantiqua Heidelbergensi Academia

PROLIGENTIA
Summos in Medicina honores & Privilegia rite obtinendi
PUBLICO ET SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
PROPOSONIT
GUSTAVUS VICTOR JÆGERSCHMID,

GIENGA - SUEVUS,
Physicus Ordinar. Landgraviatus Sausenburgensis.
Ad diem Januar. M D C C X X V.

H. L. Q. C.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30773799>

V I R O

*Nobilissimo atque Excellentissimo
PATRONORUM MAXIMO,*

D O M I N O

**D. ERNESTO
LUDOVICO
MULLERO,**
SERENISSIMI MARCHIONIS
BAADA-DURLACENSIS
AULÆ ET REDITUUM

Directori Splendidissimo,

*Hanc Dissertationem Inauguralem , pro
multis in me collatis beneficiis , gratamen-
te , atque ea qua par est humillima &
devotione & veneratione*

D. D. D.



AD LECTOREM.

Anus est , & quod excurrit , ex quo Dissertationem de Consensu , de qua autem modo pars hic apparet , elaboravi . Cum autem materia nimium ex crescere & labor typographicus multum temporis requisiisset , redditus autem mibi sit accelerandus , quia præter omnem animi cogitationem mibi hic morandum fuit , ex Dissertatione supra dicta præcipua extraxi , & brevissimis in hacce Thesè redigi . Ipsam autem quod attinet Dissertationem , de illa prolixe præfari minime necessum esse existimo .



Σ. Θ.

§. I.

Partium Consensus Practico incipienti multas parere potest difficultates , ideo illius cognitio quam maxime est necessaria , ne confusiones oriatur in methodo medendi.

§. II.

Machina enim nostra humana adeò mirifica , ex tantis constituta est connexionibus , ut partes etiam dissitæ lege quadam consortii , conspirent & consensum patiantur.

§. III.

Est itaque Consensus communicatio affectionum , imprimis morborum , quam varia membra & partes inter se habent , ita , ut unâ affectâ , aut commotâ , afficiatur etiam & altera , ex ejusdem nervi sive vasis sanguiferi ramo nata.

§. IV.

Secundum Veterum sententiam , Consensus triplici modo contingit
Et primo *κατὰ κοινωνίαν* sive communionem partium inferiorum , qua mediante vapores sursum tendentes ac elevati , capiti communificantur.

A

§. V.

§. V.

Capiti enim idem accidere dixerunt, quod recto domui fumosæ super imposito, ad quod omnes fumi & vapores, qui ab imo effumant, feruntur.

§. VI.

Secundo ~~καθ ομιλιαν~~, sive ratione vicinitatis, cum pars quædam aliam per sensibiles atque insensibiles meatus in consensum trahat, veluti in pleuritide pulmones.

§. VII.

Tertio denique ~~κατὰ σύμφυσιν~~, ut à spinalis medullæ aliqua affectione partium cæterarum, quæ vel tunicas, à membranis cerebri, vel nervos sensus & motus causa ab ipso Cerebro accipiunt.

§. VIII.

Primam quod attinet sententiam, difficultatibus premi existimo, statuere vapores in infimis visceribus obortos, adeò sine impedimentis versus superiora se se elevare posse.

§. IX.

Notum enim omnibus eis, qui primis saltem labiis Anatomicorum scholas salutârunt, vapores ejusmodi non adeò facile versus caput inque illud tendere ac transire posse, & vulgare illud, vapores è ventriculo (imo adeò ex utero) elevari ad caput die Dâuiipffē steigen ihnen aus dem Magen in den Kopf / minime de vaporibus intelligendum esse existimo; ventriculus enim à causa quadam affectus, consensum cum Cerebro suscitat.

§. X.

Quod autem Consensum ~~καθ ομιλιαν~~ factum attinet, istè plerumque vasorum communionem involvit, si modo verba Thesis 6. recte considerantur; cum enim partes vicinæ ab eâdem tunica sive mem.

membranâ investiantur , & præterea sæpius ramo ab eodem vase progerminante gaudeant, haud grave Consensus oritur.

§. XI.

DUm autem Veteres Consensum per vasa sanguifera admiserunt attamen dupli modo errâsse videntur. Primo Consensum modo fieri in partibus proxime parti affectæ adjacentibus, ut in pleuritide, si pulmones afficiantur. Secundo in falsâ suppositione , & circulatione vaporum. Docuerunt enim ejusmodi vapores, in aliquo viscere obortos, per vasa sanguifera vehi , atque tali modo hoc vel illud viscus in Consensum trahere.

§. XII.

REm si paulò accuratius perpendamus statim hoc assertum difficultibus involvi inveniemus. Primum scilicet assertum quod atinet notum est , partes etiam dissitas ac proximas consentire per vasa sanguifera e. g. in obstructione mensium dolor premens & haud raro punctorius , in hepate imo adeò in liene sentitur, quod autem à regurgitatione sanguinis contingere solet non à vaporibus ; & hanc materiam infrà accuratius perlustrabimus.

§. XIII.

ET secundam sententiam de consensu per vasa , ejusdem valoris esse deprehendemus. Vapores enim si unà cum sanguine circularentur , omnes partes ut afficerent necesse esset , quia undique & in omnes partes sanguis distribuitur, id quod autem , & veritati & experientiæ non respondet.

§. XIV.

Quia autem Consensus ~~καθ' οὐλίαν~~ ortus , ut quidem jam mentionem fecimus , simul involvit vicinitatem , communicationem membranarum & tunicarum nec non meatus , qui nil aliud esse videntur nisi vasa sanguifera , facile confusiones exinde oriuntur , quo

cas evitemus, loco hujus nominis, sumemus Consensum per vasa sanguifera natum; iste enim qui fit per membranas & tunicas, sub nomine σύμφυσις jam comprehenditur.

§. XV.

ITaque circa Consensum per vasa sanguifera nec non κατὰ σύμφυσιν natum hic maxime occupati erimus, quippe qui involvit negotium nervorum, aut circa membranas & tunicas nerveas versatur.

§. XVI.

Nunc autem, nos ut explicemus, quomodo consensus per vasa sanguifera contingat, necesse est, quia sententiam de Vaporibus non admisiimus. Vero similius itaque est rem ita se habere. Existente in vase aliquo obstructione e. g. in propagine quadam venæ Portæ per hepatis distributa, per cæteras, sine dubio, majori velocitate sanguis percurret.

§. XVII.

ID observare licet in Machinâ hydraulicâ sex vel decem Syphonum, ubi tribus vel quatuor obstructis cæteri aquam non celerius solum, sed altius etiam ob pulsum majorem jactant.

§. XVIII.

HAud raro hoc accidit, ut si in aliquo viscere contractiones spasticae, aut in aliquo vase obstrukiones contingent ex his regurgitationes translatoriae oriuntur ad alia viscera; ut fieri amat in obstrukione V. Portæ, quippe quæ vena ob copiosum sanguinis afflum ex singulis intestinis admodum oneratur; ubi facta in mesenterio contractione spasmodica sanguis ex vena hæmorrhoidali istisque mesenterii ramis in rānum splenicum intrat, qui non in mesenterio sed liber jacet, atque liene dolorem tensorium sive pressorium in-

terdum punctionum suscitat. Nam admodum rationi consonum est, sanguinem spissiorem magis redire ad hepar, & ubi vasa ampliora sunt, quam versus inferiora ubi angustiora deprehenduntur.

§. XIX.

EJusmodi sanguinis translationes accidere porro observantur in uteri malâ affectione, ubi sanguis iterum versus hepar propellitur & ex hoc denique versus lienem (tunc mulierculæ conqueruntur: es sehe ihnen als wären sie mit einem Strick um den Leib gebunden) ex Liene interdum per vasa brevia, & tunc vomitus exoritur cruentus.

§. XX.

HIC magnum errorem, contra Anatomiam commisso videor, siquidem satis notum est, sanguinem à partibus per venas revehi, non advehî, cum tamen per vasa brevia sanguinem in vomitu Cruento excerni, modo asseruerim.

§. XXI.

AST multorum Expertissimorum Virorum Observationes aliter nos credere jubent, præsertim autem ista historia quam Exc. Dnq. Dr. Wedelius in Physiologia reformata de quadam puerpera allegat, quæ Vomitu cruento fatis excessit, in cuius sectione vas quoddam breve disruptum deprehendebat. Stahlius in Collegio quodam privato (quod autem jam typis commissum est) de hac materia mentem suam ita aperit: Nun kan zwar ordentlicher Weise kein Geblüt zum Magen gebracht werden (sc. per vasa brevia) sonderen es wird vom Magen weggeführt / aber wir befinden doch in außerordentlichen Fällen ein anders.

§. XXII.

EX ejusmodi sanguinis translationibus erroneis versus Venam Portæ, sæpe per motus Naturæ erroneous, ex modò dictâ venâ, per venam Cavam versus cor propellitur sanguis, inque dextram illius auriculam irruens palpitationem cordis parit, & hæmorrhoidibus & suppressioni mensium laborantibus communem.

§. XXIII.

OB hanc causam majori vi sanguis expellitur per arteriam pulmonalem, sicque oritur asthma, & disrupto vase hæmoptysis, tam suppressis hæmorrhoidibus, quam mensium obstructioni, nunquam non superveniens.

§. XXIV.

Mictui Cruento ex sanguinis hæmorrhoidalnis translatione per cruentorem Naturæ facta facillimè ansa præbetur. Quam primum enim hæmorrhoides supprimuntur sanguis ex Ischiadicis venis ad emulgentes vix duorum pollicum spatio ab illis distantes redundat. vid. Juncker. Conspect. Med. Tab. VII. p. 39. de Mictu Cruento.

§. XXV.

Consensum, quem cum mammis uterus habeat, Barthol. Anat. L. I. c. 6. p. m. 38. ita describit: superior vena mammaria oritur à Venâ Cavâ clavibus subjacente; cuius ramus, quidam insignior ad mamma pergit, & sub recto musculo ad regionem umbilici usque excurrit, ubi terminatur. Huic obviam it altera, Epigastrica, quæ in mulieribus ab utero, in viris à vena cava oritur (i. potius & accuratius dicendo à ramo iliaco) & sursum pergit ad superiorem venam, quam antequam attingat, ut plurimum obliteratur. Nonnunquam tamen hæc duæ venæ conjunguntur manifestis anastomosibus, id est, extremitatibus, se contingunt, hinc consensus mammarum cum utero

putatur, abdomini cum naribus. Nam in narum hæmorrhagia abdomini affigimus cucurbitulas. Et contrectatis mammis ad venerem incitantur fœminæ.

§. XXVI.

ET forsitan hæc ipsa ratio est, cur in obstructione mensium mulieres interdum sanguinis fluxum experiuntur per umbilicum, ut paucis Pforzheimi quædam in Orphanotropheo nobis videre licuit; item cur circa tempus menstruorum non nullæ fœminæ lac in mammis habeant. Duo exempla hic allegare possemus, sed respectus personarum id prohibet.

§. XXVII.

ET quamvis alia adhuc viscera, nimirum Pancreas Omentum &c. per motum progressivum sanguinis inter se exquisitè consentiant, Albert. Physiolog. p. 84. & 85. §. 131. & 138. hæc tamen brevitatis causa sufficient, relictis itaque his, paucissimis etiam Consensu per nervos narum contemplaturi sumus.

§. XXVIII.

Antequam Consensus excitatur status morbosus alicujus visceris cognoscendus, sive deinde dependeat, ab obstructione s. inflammatione s. apertâ læsione sive alio quodam p. n. quod irritationes suscitat, ubi nervo ab tumore extenso, aut ob inflammationem calefacto aut obstructionem compresso alteri parti ob ejusdem nervi communicationem s. membranæ nervosæ continuationem dolorem infert, & consensum parit.

§. XXIX.

QUoniam autem nervi in Machinâ humanâ sunt instrumenta per quos vitales motus transmittuntur in universum Corpus, opus habent Directore quali, item hic non movebimus.

§. XXX.

§. XXX.

STahlius animam rationalem pro Directore agnoscit , motusque per nervos ab ipsa in corpus edi iterumque per illos affici , si pars patiatur statuit , idque variis argumentis probare occupatus est.

§. XXXI.

HUic sententiae non adeò adversatus fuisse videtur Rudolph. Jac. Camerarius. Testatur enim in Dissert. quādam cuius Tit. Triga Phœnom. Muliebr. p. II. dum ille animam , inquit , cito citius observare si p. n. quid in corpore suboriatur , haud secus aranea Centrum telæ occupans , quæ attrahendo filum , motūs quaquam versus edere possit , iterum sentire sre. g. à muscâ tela attingatur.

§. XXXII.

Nervos etiam pro sensu & motu esse dicatos , prout in has vel illas partes disseminentur , confirmat Barthol Anat. L. III. c. I. p. m. 450.

§. XXXIII.

Modo dictum exemplum pulchrè demonstrat Consensum hac in parte : filo enim aliquo attracto ab araneâ duo aut tres rami fili ejusdem à latere exorrecti , simul moventur. Pari modo accedit , ut nervo aliquo moto moveatur & ramus ejusdem atque ita pars , quæ ramo ab eodem nervo gaudet in Consensum trahatur cum alterâ , inquam alter ramus est exorrectus.

§. XXXIV.

DIstinctus autem est consensus pro ratione partis affectæ , sive morbi , hoc apparet ex ventriculi affectione , ita in nimia potulentorum sive esculentorum ingestione dolorem Cerebri solummodo gravativum , in ventriculi autem inflammatione & paraphrenitide deli-

(9)

lelirium observamus. Cerebrum autem vel i^ctū vel alio Casu l^asum vomitus parit.

§. XXXV.

POtto experientia confirmatum est, s^aepius adesse dolorem in membro, quamvis in isto nulla ejus rei causa h^areat. Exemplum sit Murarius Tyrolensis, qui ante annum nostr^a Curæ se commisit, hic per quinque dierum spatium de stupore femoris conquarebatur, donec nephritis calculosa se manifestavit, nam renes superincumbunt musculo qui Psoas dicitur, ideo consensus iste ortus est.

§. XXXVI.

EContrario partem aliquam s^aepius non adeo sentire, quæ tamen lapsu vel i^ctū affecta ante fuit, cum alia pars ad quam ulterius nervus tendit, quam maximè patiatur. Hujus rei fidem facit Galenus de quodam qui, Romam petiit, & ex Curru in dorsum decidit L. I. de loco Aff. c. 6. quo etiam Lectorem B. remittimus.

§. XXXVII.

QUod attinet partes, quas præ aliis inter se consentire supra diximus, harum nonnullas recitare haud abs re erit. Hic loci intentio nostra non est, omnes species Consensus, quæ in Corpore occurunt, annotare, sufficiat principaliorum injicere mentionem.

§. XXXVIII.

PRimum itaque inter ejusmodi partes occurrit ingens iste Cerebrī consensus cum ventriculo, de quo supra jam mentionem injecimus. § 34. Non minus idem accidere patebit, cum Testiculis, si, ut cum Bohnio loquar, Circ. Anat. Physiolog. p. 10. quantum unius dissipendum alterius efficaciam enervet, attendamus.

§. XXXIX.

IN Odontalgiâ commune' quid est , si patientes de dolore oculorum & aurium ob quintum par nervorum Gustatorium dictum, conquerantur. Dividitur enim hoc par mox sub durâ matre in tres ramos quorum primus ad oculum ejusque partes abit, secundus dentibus prospicit ; ab hoc ramo reflectitur adhuc alias ramulus ad aures , ex quo satis elucescit , cur hæ partes inter se consentiant.

§. XL.

Septimum par Auditorium , ad musculos ossis hyoidis per primam & secundam vertebram mittit propagines , unde aures profundius purgando saepe sicca excitatur tussicula. Barthol.

§. XLI.

POst diuturnam Colicam propter con spirationem paris octavi sive Vagi, concurrit raucedo, ramos enim hoc par descendendo per collum impendit Laryngi & Pharyngi, in thorace pulmonibus, & in abdome ventriculo & Colo , ideo credibile est, vomitum & singultum in Colicâ ob allegatam rationem provenire , & quia etiam nervuli ab hoc pari ad renes excurrunt ; hinc vomitum in nephritide derivamus.

§. XLII.

Propter idem par nervorum cor maximè condoleat ventriculo , nam à sinistro ventriculi orificio , pro substratâ Causâ affecto , animi deliquia aliaque symptomata oriuntur.

§. XLIII.

DElirium quod supervenit, paraphrenitidi, accidit propter par octavum. Tensiones autem & pressiones, quæ tempore partûs experiuntur mulieres, & circa tempus mensium per nervos ossis sacri cau-

causantur , aut secundum Bartholini sententiam , quia uterus vinculis spinæ dorsi est alligatus.

§. XLIV.

Nervi intercostales qui Laryngi ramulum impertunt , deorsum descendendo pariter uterum prospiciunt , quare paciente utero interdum mulierculas de strangulatione conqueri audimus : qui morbus ordinarie suffocationis uterinæ nomine venit.

§. XLV.

Dominus GEBHARDUS Serenissimi Principis Baada - Durlacensis Consiliarius & Operator Felicissimus Patronus honorandus , observavit in quodam milite cuius musculus temporalis læsus fuit , oculum , simul passum fuisse dolores . Hoc veniebat ob tertii paris ramulum qui interdum ad muscleum prædictum excurrit , quamvis hoc rarius contingere soleat , testante Bartholino .

§. XLVI.

PRACTICUS Celeberrimus atque Medicus excelsus , 'cui plura , ita etiam & hoc degeo , & qui amat si nomen ipsius celatur , dum Stuttgardiae adhuc degebat , in uxore cujusdam fabri ferrarii observavit , saepissime illam passione hysterica laborasse , dum nudam circumtulit cervicem , quam diu autem collum atque cervicem amictorio contra injurias frigoris defendebat , hoc etiam malo liberata fuit . Quem morbum uti & istos quos jam allegavimus , etiam per consensum medullæ spinalis cum utero , ortum suum duxisse , asserimus .

§. XLVII.

ET sic paucissimis Consensum tetigimus , atque occasionem præbui-
mus Medicis junioribus ad ulteriorem illius contemplationem ,
quæ certo utilitatem referet . Medicus enim hac ratione non solum
præsentem morbi statum & sedem facilius cognoscit , sed etiam
supervenientibus symptomatibus non confunditur .

C O R O L L A R I A.

I.

QUANTUM in affectibus hæmorrhoidariis millefolium, ob multiplicem experientiam, tantum bursa pastoris præstat in affectibus hæmorrhagicis pectoris & uteri, præmissis tamen generalibus, prout in omnibus specificis observari debet, si debitus effectus sperandus est.

2. Balnea ex Emollientibus parata, nec non essentia Sassafras in Rachiticis & Atrophicis, multum prodesse expertorum Medicorum experientiæ subscribo, non tamen his solum fidendum esse moneo.

3. Eadem subiecta ob glandularum meseraicarum obstructionem difficillime purgantur.

4. Humorem Aqueum ob quandam oculi læsionem effusum, successu temporis, una cum visu restitutum fuisse, experientia docuit.

5. Dantur fœtus, qui in utero respirant.

6. Potus aquæ fontanæ ante Cubitum haustus in constipatione alvi saepius profuit.

7. Sumpta venena purgantibus non sunt expellenda, certius, tuitius atque utilius, mucilaginosa atque oleosa prosunt.

8. Eadem medicamenta experientia teste sunt proficia in ejusmodi subiectis qui vinis Lythargirisatis usa fuerunt.

9. Mercurius præcipitatus viridis juxta Hartmannum rite paratus in Gonorrhœa inveterata, à gr. 2. ad 3. adhibitus, egregiam præstat utilitatem.

10. Semen Cataputiæ à Scriniario quodam 40. annorum scopo, purgandi ad viginti grana, assumptum tormina, ingentem ventriculi dolorem, vomitus sedesque numerosas causatum fuisse observavi.

11. Baccæ Opuli Ruelli, cuius foliis capræ vescuntur à puella 2. annorum comesæ tormina distensionem ventriculi & intestinorum, sedes per biduum numerosas, procidentiam ani, vomitus decem vel undecim adeo & convulsiones post se traxisse, itidem expertus sum.